

10 EXPLICATIO SEPARATIONIS

tum capillare in terra: germanice: wie Haarsilber in den Bergen. Haec massa argentea *facilius* puro argento in omni fere liquore acido minerali soluitur.

§. XX.

Argento puro autem in solutione per spiritum nitri aut aquam fortem aliquo modo tale principium sulphureum redditur; eoque ipsi reddito hanc in interstitia sua recipit; aqua fortis autem tamquam acidum, aliud in argento obuium acidum aut salem secum combinatura omni conatu intrat in poros argenti et tali modo penetrat, ut aërem in poris contentum expellat, quod ex bullulis ad superficiem tendentibus videre est, ita, ut totum menstruum cum argento saturetur, illudque ita resoluat atque recludat, ut diaphaneitatem cum illa adquirat.

§. XXI.

Nunc solutio argenti (*) per aquam fortem facta sequentem in modum concipi potest: sulphureo principio impraegnata aqua fortis communicat primo illud argento, et tunc inuadit acidum in argento contentum:

(*) Argentum solutioni tradendum antea vel in frustula tenuia scindatur, vel in tenuissimas lamellas diducatur, ut aqua fortis plures partes attingere pluresque poros simul ingredi possit.